

Gentilium cœcitas, qui uno D E O non contenti, plures, adeoque fere infinitos D E O S, confinxerunt.

II.
Gentilif-
mus seu

πολυθεϊσμός

Rom. 1. 22. Putantes, se esse sapientes, stultifaceti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis D E I, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.

Turcarum & Arrianorum furor, quorum illi Filium D E I prorsus negant, hi ejusdem impugnant Divinitatem.

III.
Turcismus

1. Joh. 2. 23. Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet.

Multorum Gentilismus, qui Professione Christiani, nihilominus vel in exercitiis Poeticis, vel in orationibus, vel in familiaribus etiam colloquiis aut juramentis, frequentem Idolorum Gentilium mentionem faciunt, ut, Appollinis, Iovis, Mercurii, Musarum, Nympharum, & reliquorum diabolorum, quos Gentiles pro diis coluerunt: Apud Christianos autem & populum Dei, etiam memoria ipsorum abolita esse debebat.

IV.
Christianorum
Gentilif-
mus.

Exod. 23. 13. Omnia, quae dixi vobis, custodite, & nominis alienorum Deorum ne memineritis, neque audietur ex ore vestro.

Deut. 12. 3. Disperdite nomen Idolorum de locis istis.

Ose. 2. 17. Et auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur amplius nominis eorum.

II. LO-